

personam: ergo ex omni parte hoc repugnat.

Primum fundamentum explicatur sic, quia persona intelligitur ut terminus intrinsecus naturæ quam efficit et subsistere facit: origo autem non significatur ut terminus, sed ut via, sive per modum actionis, sive per modum passionis, ut generatio, et nativitas: ergo ex ipsa formali ratione significandi non potest esse forma constituens personam. Consequentia patet, quia forma constituens personam est terminus: ergo non est via, nec significari debet per modum viæ. Major constat, quia forma constituens personam est subsistentia seu personalitas: hæc autem terminat naturam in facto esse, quia reddit illam incommunicabilem permanentem et in se: ergo non per modum viæ, et tendentiæ ad terminum, sed per seipsam terminus esse debet. Major probatur ex ipsa essentiali ratione personæ, quæ est subsistentia incommunicabilis, seu substantia individua naturæ rationalis, id est, prima substantia. De ratione autem subsistentiæ incommunicabilius est quod sit terminus naturæ, quia non relinquit illam ulterius communicari, et terminari, sed in se sistit: ergo habet rationem termini. Est autem terminus intrinsecus, quia afficit ipsam naturam in se, et reddit illam in facto esse terminatam. Minor autem constat, quia generatio, v. g. significatur ut via quædam ad rem genitam, et ut progressio a generante: ergo significatur ut via a re, vel ad rem. Et propterea dicit S. Thomas quod origo non significatur ut aliquid intrinsecum: non quia intra Deum origo non sit aliquid intrinsecum, cum sit actus immanens, sed quia significatur per modum viæ, exiens a producente, et tendens ad rem productam: ubi ipsum exire significatur per

modum non intrinseci respectu rei a qua exit, et ut via ad terminum ad quem, et consequenter non ut constituens in facto esse intrinsece.

XI. Secundum fundamentum explicatur ex eo, quia origo ut dictum est, vel significatur active, vel passive: si active, comparatur ad principium a quo exiit. Exit autem a supposito subsistente, quia actus sunt suppositorum, nec potest aliquid principium ut quo producere, nisi supponatur principium quod, a quo procedit actio: ergo ex suomet conceptu formali origo active sumpta supponit personam agentem: ergo non constituit illam formaliter. Si autem sumatur passive, nihil aliud est quam via, et tendentia ad personam procedentem: est enim via ad aliquem terminum, et non ad seipsam: ille autem terminus est persona procedens sicut Persona Filii, et Spiritus sancti est Persona procedens: ergo id quod significatur ut via ad talem personam, non potest ex tali formali ratione viæ constituere ipsammet personam procedentem, quia via est ad illam non ipsamet in facto esse, et sic non constituit illam ut in facto esse.

Ad fundamentum oppositum respondetur.

XII. Ad primum ex auctoritatibus sanctorum dicimus, ibi non exprimere formale constitutivum Personarum, sed solum id quod pertinet ad ea, quæ propria sunt Personarum, sive per modum constitutivi in facto esse, sive in fieri, et via. Et hoc modo etiam pertinet ad origines Personas distinguere, quatenus aliquid notionale sunt et proprium Personarum, et ut via significantur ad ipsas: alias enim sæpe etiam docent relationibus discerni et multiplicari Personas, ut supra ex multis locis Conciliorum ostendimus.

Vel etiam per nomina originum intelliguntur aliquando ipsæmet relationes, quæ in origine fundantur, vel originem fundant. Quo sensu explicat Augustinum D. Thomas q. VIII de pot. a. III ad XIV.

XIII. Ad secundum fundamentum dicitur, quod relationes constituentes Personas (de his enim tantum loquimur in præsentibus) aliæ sunt procedentes, ut filiatio, et spiratio passiva, aliæ non procedunt, sed originant, ut paternitas. De primis non est difficultas, quod subsequantur originem per quam produuntur, et in illa fundantur. Ex hoc tamen non sequitur quod origo constituat Personam: potius enim antecedit illam, quia est via ad ipsam, atque adeo præcedit constitutivum ejus formale; et sic tales Personæ procedentes fundantur quidem in origine quantum ad suam relationem, non tamen formaliter constituuntur per originem. Et licet origo etiam sit subsistens, sicut relatio ipsa, tamen propter modum significandi ut via, et tendentia, et non in facto esse, ut res et suppositum non constituit formaliter Personam, sicut relatio. Si autem loquamur de relatione non procedente ut paternitas, dicimus quod illa, in quantum subsistens, et constituens Personam non præsupponit fundamentum, neque quoad hoc fundatur in actione, sed potius actio egreditur ab illa: sed tamen in quantum respiciens, et in exercitio tendens ad suum terminum, sic fundatur in actione, et præsupponit generationem, non tamen præsupponit illam ut constitutivam Personæ, sed ut actum egredientem a Persona constituta, et ut prærequisitum ad ipsum exercitium respiciendi, ut statim amplius explicabitur. Et cum instatur parificando relationem et originem, quod exercite, seu quod exercitium respiciendi, et produ-

cendi, neutra constituit; signate autem, seu in quantum res subsistens, non est cur origo repellatur a constituendo, respondetur verum esse quod in exercitio neutra constituit Personam, sed exercet se erga alterum, relatio respiciendo, origo producendo; constitutio autem Personæ est prout in se, et ad se, considerata autem per modum subsistens, est dispar utriusque ratio; tum quia origo solum est subsistens identice, scilicet quia est aliquid divinum et intra Deum, non vero est formaliter ipsa subsistentia, sicut relatio, quæ ex suo formali conceptu est opposita et incommunicabilis; et sic est subsistentia formaliter, et ut quo, et per modum formæ: constitutivum autem Personæ non solum debet esse subsistens identice, sed formaliter, nempe ipsa subsistentia, seu personalitas; tum etiam, quia ex modo significandi, origo, etiam ut subsistens, significatur ut via et tendentia, relatio ut in facto esse. Constitutivum autem Personæ debet significari ut in facto esse, quia sic significatur ipsa Persona constituta.

XIV. Ex quibus colligitur quod difficultas præsens de constitutivo Personarum non urget circa Personas procedentes, quia relationes, quæ tales Personas possunt constituere, inveniuntur in se subsistentes, quia ipsæmet sunt subsistentiæ relativæ; et sic ex hac parte non repugnat constituere formaliter Personas, quæ ipsis subsistentiis formaliter constitui debent in esse personæ. Similiter possunt supponere sua fundamenta antequam constituent Personam, quia fundantur in origine, per quam procedunt, si quidem relationes istæ ex sua formali, et specifica ratione sunt relationes termini producti ad suum producentem, et constituunt Personas ut procedentes: in hoc enim distinguitur Persona Filii

a Persona Patris quod est Persona genita, et ab illo exiens: ergo formale constitutum illius debet esse relatio fundata in generatione passiva. Quare tales relationes Personarum procedentium et quantum da rationem respiciendi, illiusque exercitium, et quantum ad rationem subsistendi, et quantum ad ipsam entitatem formæ relativæ præsupponunt origines tamquam fundamenta. Unde non est difficile intelligere, quo modo ipsæ relationes constituent Personam, præsupponendo sua fundamenta, cum ex ipsa intrinseca ratione talis Personæ constitutæ, quia Persona procedens est, prærequirat et præsupponat originem passivam sui, in qua fundatur. Reliquum est ut deveniamus ad præcipuam difficultatem, quæ est de constitutivo Personæ non procedentis, quæ est Pater.

PATERNITAS SUB CONCEPTU PATERNITATIS CONSTITUIT PRIMAM PERSONAM NON PROCEDENTEM.

XV. Devolvitur ergo summa totius difficultatis (et ipsa difficultas summa est) ad constitutum primæ Personæ non procedentis, quæ est Pater, quomodo possit per relationem constitui tamquam per formam. Et fere tota difficultas reducitur ad duo puncta. Alterum, ex parte fundamenti relationis: alterum, ex parte termini.

Ex parte fundamenti difficultas est, quia relatio paternitatis est relatio fundata in generatione, si quidem non est relatio fundata in unitate, vel mensura, sed in actione, et passione, et in nulla alia actione, quam in generatione: ergo non potest intelligi talis relatio formaliter consurgens, et existens ante tale fundamentum, quia relatio formaliter sumpta supponit fundamen-

tum. Ex alia autem parte Persona Patris debet intelligi constituta ante generationem, quia generatio procedit a Persona generante: ergo si illa Persona constituitur per relationem Patris ut patris, debet constitui ante generationem, et consequenter relatio esse ante fundamentum, vel generatio esse ante Personam generantem. Neque potest dici quod constituitur Persona Patris per conceptum relationis secundum se, et in communi sumptæ, non ut paternitas est in speciali. Contra enim est, quia Personæ non constituuntur per formam aliquam communi sumptam, sed in speciali et determinate, quia id quod constituunt, determinatum, et speciale est, et distinctum ab alia Persona: Persona autem Patris non distinguitur a Persona Filii penes relationem communiter sumptam, quia hæc etiam convenit Filio: ergo penes relationem paternitatis, ut paternitas est, sed constituitur ut distincta a Filio: ergo constitui debet per relationem sub conceptu paternitatis, ut paternitas est, et ut opposita Filio: non enim est distincta, nisi ut opposita: hæc autem supponit generationem pro fundamento: ergo.

XVI. Ex parte termini consurgit secundo difficultas, quia Pater, et Filius sunt correlativa: ergo sunt simul cognitione: ergo si in illo priori quo intelligitur constitui Persona Patris ante generationem, intelligitur constitui per relationem paternitatis, in illo priori intelligitur simul natura cum Filio, et simul cognitione, quia non potest pro aliquo signo intelligi relatio Patris non terminata ad Filium, et simul cum illo: ergo pro illo signo quo intelligitur Persona Patris constitui per relationem paternitatis, intelligitur in eo signo correlativum ejus quod est Filius, sive intelligatur relatio

paternitatis ut signata, sive ut exercitata, sive secundum conceptum ad, sive secundum conceptum in, quomodocumque concipiatur, si conceptus paternitatis datur, etiam et Filii qui est correlativum, dari debet: sed pro tunc nondum intelligitur generatio, neque præsupponitur antea præcessisse, quia tunc primo intelligitur constitui Persona generantis a qua generatio debet procedere: ergo intelligitur Filius ante generationem, quod implicat. Sequela patet, quia intelligitur ante generationem Persona Patris constitui per conceptum paternitatis, qui est conceptus correlativus, et simul cognitione cum Filio.

XVII. Denique, augetur difficultas, quia productio ipsa Personæ terminatur ad Personam ut productam, quæ est terminus productionis, non ad eam ut relatam, quia ad relationem per se, et directe non est motus: ergo ex parte termini prius intelligitur Persona procedens producta, quam relata: ergo prius intelligitur constituta, quam relatione affecta. Relatio ergo non constituit formaliter. Hæc sunt præcipuæ difficultates.

Solutio D. Thomæ ad hanc difficultatem paucis verbis tradita est in hac quæstione XL, a. IV, dum inquit: « Proprietas personalis Patris potest considerari dupliciter: uno modo, ut est relatio; et sic iterum secundum intellectum præsupponit actum notionalem, qui est relatio, in quantum hujusmodi fundatur super actum: alio modo secundum quod est constitutiva Personæ; et sic iterum oportet quod præintelligatur relatio actui notionali, sicut Persona agens præintelligitur actioni. » Ita D. Thomas. Quam distinctionem de relatione secundum munus subsistendi vel respiciendi acriter impugnat Durandus in I, dist. XXVI, quæst. I; Scotus dist. XXVIII, quæstione ultima in fine:

et contra ipsos defendunt Cajetanus in hac quæstione XI, art. II et IV, et Capreolus in I, dist. XXVI, quæst. I; Ferrariensis IV contra gentil. cap. XXVI, et alii.

XVIII. Et quidem solutio D. Thomæ difficultatem facit, quia quando considerat relationem ut subsistentem, et non ut respicientem, seu ut relatio est, denudat illam fundamento suo, et termino, quia sub illa ratione consideratur ante generationem, quæ est fundamentum illius, ut respiciens est, et ante terminum productum, seu genitum, qui est terminus correlativus talis generationis. Denudare autem aliquam relationem sui termino et suo fundamento, est destruere suam essentialem rationem, et specialem, et proprium conceptum paternitatis. Quomodo enim potest concipi quiddam ratio relationis, cujus totum suum esse est ad aliud sine termino ad quem est, et sine fundamento, ratione cujus est?

Et rursus specialis relatio, qualis est paternitas, quomodo potest concipi sine suo specificativo, quod est fundamentum et terminus, ut in esse patris constituatur? Quod si relatio, ut concipitur subsistens, denudatur istis duobus requisitis ad ejus essentialitatem: ergo per talem conceptum subsistendi removetur a suo conceptu essentiali, vel nondum concipitur prout sic sub suo conceptu essentiali. Unde non potest verificari quod si per illum conceptum subsistendi constituitur Persona Patris, quod constituatur in ratione talis personæ per conceptum paternitatis, ut specialis conceptus paternitatis est.

XIX. Propter hoc valde divisi sunt auctores in explicanda hac solutione D. Thomæ, qui omnes solliciti sunt dividere illum conceptum relationis, et secundum unam rationem ponere illam, ut constituentem

Personam, et sic præcedere generationem; secundum vero aliam subsequi ad generationem in eaque fundare, et correlative se habere ad terminum. Sed quæ sint istæ rationes inadæquatæ in conceptu relationis, vix conveniunt, et facilius se implicant, quam explicant auctores. Et fere omnes conati sunt in illo conceptu constitutivo Personæ Patris invenire formalitatem aliquam, secundum quam et relatio maneat, et terminum non respiciat expresse et explicite, seu exercite: nam sub conceptu explicito ad terminum non potest evadi, quin simul natura et cognitione sit cum termino, et subsequatur ad fundamentum talis respicientiæ, quæ est generatio, et origo. Qui labor in assignando conceptu relationis, in constituenda persona, et non attingendo terminum, firmatur ex doctrina D. Augustini qui in VII de Trinitate, cap. VII, dicit quod: « Cum dicimus Personam Patris, non aliud dicimus, quam substantiam Patris, ad se quippe dicitur Persona, non ad Filium. » Et sic constitutum Personæ sub hac formalitate, non attingit terminum correlativum, quia prout sic ad se dicitur Persona, non ad correlativum. Unde D. Thomas supra quæstione XXIX, art. IV ad 1, explicans hoc dictum Augustini, inquit quod: « Persona dicitur ad se, non ad alterum, quia significat relationem, non per modum relationis, sed per modum substantiæ, quæ est hypostasis. » Sequendo ergo doctrinam D. Augustini et Thomæ omnes tenentur in constitutivo Personæ sub formalitate constitutivi, non exercere relationem, neque attingere terminum ejus, sub modo et formalitate respiciendi, qui est modus relationis, quia constituere personam non est exerceri ad alterum formaliter, sed in se manere, et stare.

Reducuntur ergo præcipuæ sen-

tentiæ auctorum in hac parte ad tres.

XX. Prima affirmat constitutum Personæ Patris esse quidem aliquid proprium Patris, sed non ipsam paternitatem, nec quantum ad exercitium ad, nec quantum ad conceptum in, vel conceptum subsistendi, sed constitui per notionem innascibilitatis, quæ est propria Patris, et constituit ipsum, non sub ratione Patris, sed sub ratione primæ personæ fecundæ ad generandum; et sic intelligitur constituta Persona patris antequam generet, licet ratio et respectus Patris subsequatur ad ipsum generare. Hæc est sententia Vasquez hic disput. CLIX, cap. V. Sed quia innascibilitas de formali importat negationem non essendi ab aliquo, conatus est Vasquez, et ejus sequaces, isti notioni supponere aliquid positivum, non quidem de formali significato, quia hoc esse non potest, sed de materiali, intrinsece tamen pertinente ad ipsam notionem, quod explicant per rationem fontalis principii, non quidem sumpto principio in communi ad paternitatem et spirationem, sed prout specialiter dicit rationem primi principii, seu fontis aliarum Personarum, quatenus unico respectu, et indiviso respicit duas Personas procedentes, quem respectum Vasquez dixit esse rationes. Sed quia ineptus videtur respectus rationis et inanis ad constituendam personam tam realem, sicut est prima Persona Trinitatis, nec plus afferens de entitate, quam negatio, quæ etiam ens rationis est, consolidarunt illum alii discipuli Vasquez, et præsertim p. Alarcon vocando illum respectum transcendentalem sola ratione distinctum a paternitate, et respicientem pro termino indiviso Filium et Spiritum sanctum. Quam sententiam late adduximus et impugnavimus disputatione præcedenti, articulo primo.

XXI. Pater Suarez lib. VII de Trinitate, cap. VII, cum Arrubale disput. CXII, cap. III, docet Personam Patris constitui quidem per relationem divinam, secundum propriam rationem relationis, sed tamen non concipi a nobis tunc ut relata ad suum terminum; et sic non concipitur conceptu proprio, et distincto, nec secundum expressam et formalem constitutionem suam, sed conceptu confuso, addita aliqua negatione vel connotatione, quod explicat in hunc modum: quod quia in humanis persona patris prius est quam generet, et prius generat quam sit pater, ad hunc ordinem adaptamus modum, quo æternum Patrem concipimus, ac proinde tunc nec distincte concipimus constitutionem ejus, nec de illo formamus conceptum omnino positivum, secundum quem sit generatione prior, sed concipimus tantum illum sub ratione primæ Personæ, ubi ly prima negationem dicit, et hoc affirmat vocari a D. Thoma relationem ut formam hypostaticam. Prima enim personalitas nihil aliud quidem est quam relatio, ut tamen concipitur sub conceptu personali, non proprio, sed communi: nam in eo convenit cum aliis relationibus et subsistentiis personalibus. Quia vero sub hac ratione confusa non potest sufficere ad constituendam Personam particularem, additur negatio, quæ significatur, cum dicitur prima personalitas, quia positivam rationem propriam addere non possumus, donec proprium ejus respectum concipiamus; et sic præintelligi potest prima Persona constituta, antequam relata, quod non obstat quominus per se ac proprie per relationem ut relatio est, constituatur. Ita Suarez.

XXII. Istæ duæ sententiæ in hoc conveniunt, quod constituunt Personam Patris per aliquid proprium

ipsius, non tamen sub ratione Personæ Patris, sed sub ratione primæ Personæ. Sed Vasquez id deduxit ad notionem innascibilitatis concepta cum aliquo positivo pro materiali. Suarez autem ad rationem communem relationis ut subsistens est cum connotatione negationis, quæ pertinet ad rationem primæ personalitatis, quo conceptu affecta Persona, constituitur in esse Personæ primæ, licet non in ratione relata, licet id quo constituitur, relatio sit. Unde tamen per hoc ultimum debet Suarez recidere in sententiam Cajetani de relatione concepta, et exercita, vel in sententiam Ferrariensis de relatione sub conceptu in subsistenti, qui est conceptus communis, vel sub conceptu ad respicienti, qui est conceptus Patris.

XXIII. Secunda ergo sententia est eorum qui ponunt constitutum Personæ Patris per ipsam relationem paternitatis, et constitutum ejus esse Personam Patris, non solum sub conceptu primæ Personæ, quæ est connotatio negationis, sed sub conceptu speciali, et proprio personæ Patris secundum conceptum positivum. Et hi auctores dividunt illos duos conceptus relationis, quos ponit S. Thomas de relatione, ut subsistens, et ut relatio, quod sit idem ac relatio sub conceptu in, et absolutum, vel sub conceptu ad: et primo modo antecedit generationem: secundo modo subsequitur. Ita Capreolus et Ferrariensis supra citati, et sequitur cursus Carmelitanus tract. VI de Trinitate, disp. XVIII, dub. IV, num. LXVII, loquendo de Personis divinis, ut concipiuntur per nostros conceptus confusos: nam si concipiantur conceptu proprio, et in se, seu per conceptus perfectos, docent constitui per relationes, etiam ut exprimunt ipsum ad. Et aliqui putant relationem constituere Personam per conceptum